

16 Tertiodecimo dictum est (vel paruitas rei) quia furari quod parum, vel quasi nihil ualeret, est ueniale.

Quartodecimo dictum est (vel dispensatio iusta) quia haec semper excusat, ut de uoto dicetur.

Quintodecimo & ultimo, dictum est (si iusta causa non excusat) quia causa rationabilis a transgressione legis humanae semper excusat, saltem a mortali, ita si legislator adesset, tunc dispensaret. Ex quibus omnibus colliguntur haec distinctiones.

Prima distinctio inter peccatum mortale, & veniale est per se: & est haec: Omne illud quod fit contra praecepta Diuina, Naturalia, Ecclesiastica, & contra leges humanas, est peccatum mortale ex generi, & propria natura: ut colligitur ex secundo, tertio, & quarto dicto. Hinc sequitur, quod facere contra uota, Promissiones, Obligationes iuratas, uel quando a superiori praecipitur in uirtute obedientiae: tunc est peccatum mortale: quia huiusmodi faciunt sibi legem.

Peccatum veniale est preter ista, ut dictum est supra, pro ut in exemplo manifestari potest. Verbi gratia, Ecclesia praecepit ieiunari in vigilijs, qui facit contra, non ieiunando, peccat mortaliter: quia contra praeceptum Ecclesiae. Sed qui ieiunat, & non obseruat modum, quem Ecclesia intendit, scilicet hora determinata, cum parsimonia in cibo, ut caro maceretur, & huiusmodi, non facit contra praeceptum, sed prater: vnde qui horam anticiparet, uel postponeret paulisper sine necessitate: aut collationem serotinam, uel potum aliquantulum immoderatae faceret, uel aliquantulum laute comederet, & huiusmodi, peccaret veniali ter, ex proprio genere. Præterea clerici in sacris, Religiosi, & Religiosæ professi, tenentur ex præcepto Ecclesiae, singulis diebus officium recitare: qui vna die officium dimiserit, peccat mortaliter, quia contra præceptum facit: sed qui officium recitat, sine tamen attentione, & deuotione, extra debitam horam, & loco conuenienti, & cum quibusdam alijs imperfectionibus, peccat venialiter: quia non contra, sed prater præceptum facit, id est non ad intentionem præcipientis, verum cum istis imperfectionibus quandoque mortaliter peccamus, ut inferius dicetur. Et sic de alijs dicendum est.

Secunda distinctio est. Quedam sunt peccata venialia ex proprio genere, & per se: quæ tamen ex causa efficiuntur mortalia, & hoc fit multis modis.

Primo quando fit aliquid contra conscientiam dictantem, vel dubitantem esse peccatum mortale, quod de se non est tale: ut colligitur ex sexto dicto. Exemplum, dicere mendacium iocosum, sine proximi offendente, est de se veniale: qui autem hoc dicendo, crederet, aut dubitaret esse mortale, peccaret mortaliter, propter conscientiam erroneam, quam habet. Item dicendo, poter di Dio, puo far Dio, al sanguine di Dio, & simile, regulariter loquendo, sine necessitate, esset ueniale: qui autem haec dicendo crederet, se blasphemare, peccaret mortaliter. Hic nota, quod ut aliquis peccet mortaliter hoc modo, non sufficit, ut conscientia dicat illud esse solummodo peccatum, sed esse mortale, & si dicatur esse ueniale, erit ueniale: nec sufficit ut conscientia dubitet in generali, sed in speciali de re, circa quam erit peccatum Verbi gratia, qui dubitat in genere, diebus festi uis non deberi negotiari, deinde exigit nummos à suo debitore, non est cur debet condemnari ad mortale: sed dubitans circa aliquod speciale, scilicet informare adiugatum super causam litis die festo, esse mortale, deinde informat, peccat mortaliter sine dubio. Non est mortale facere contra aliquod, de quo solum scrupulus habetur, quod sit tale.

Secundo, quando adest contemptus, ut colligitur ex septimo dicto, pura qua- Secundo rati-
do fit

19
Peccatum
mortale ex
propria na-
tura quan-
do est.

Peccatum
mortale ex
propria na-
tura quan-
do est.

20
Peccatum
quando est
mortale ex
causa ratio-
ne consciencie
erronea.

Nota.